

CAPUT V.

De uno necessario, quod est proprium vitæ contemplativæ.

Unitas
parcino-
niæ. HOC unum commendavit Christus in Magdalena: *Porro unum est necessarium.* Huc spectat vita contemplativa, ubique renuens pluralitatem, amans unitatem: Primò in usu rerum temporalium, ex quibus studet quàm paucissimis uti: *Habentes alimenta et* x Tim. 6.
8. *quibus tegamur, his contenti simus.* Multùm id confert ad quietem cordis; et singulariter id sectati sunt viri contemplativi; et quò parcius istis utimur, liberaliùs à Deo donamur spiritualibus bonis. Secundò requiritur, *unitas intentionis*, quæ debet quiescere in gloriâ Dei, et iis quæ ad illam per se diriguntur, uti est præcipuè salus nostra. Quidquid non hùc refertur, extra unum est, vel si totum mundum lucrificiam. Hùc spectat etiam *unitas*, quâ sumus *unum corpus, et unus spiritus* cum Christo, et una est Ephes. 4.
5. *spes vocationis omnium; unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Mediator, unus Deus, et Pater omnium.* Quarè detestabor quæcunque me ab hâc unitate corporis Christi, quod est Ecclesia, quocunque modo abducunt, aut divellunt. Tertia est, Unitas
faculta-
tum ani-
mæ. *unitas facultatum animæ, et actionum; quæ in unum colliguntur, quandò sic in potestate sunt, ut nihil obstrepant, aut avertant animam contemplantis, ab*

unione

De præstantiâ vitæ contempl. 241
unionem cum Deo per contemplationem et amorem; sed potius cooperentur suo modo, atque subserviant.

CAPUT VI.

De præstantiâ vitæ contemplativæ.

COMMENDAVIT illam Christus illis verbis: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.* Luc. 10.
42. Ubi est notandum quod ait, *Mariam elegisse.* Nam, Gratia et
libertas,
principia
statûs. etsi Deus inspirator esse debet suscipiendi vitæ generis, præsertim tam eximium, homo tamen ipse obsequitur vocanti, et cooperatur.

Vocat autem *optimam partem*, quo præfert eam vitæ activæ. Nam conjungit magis hominem summo bono, similioremque Deo facit et angelis, perficiendo ipsum secundum nobilissimas potentias rationales, intellectum et voluntatem; atque istas per actus omnium excellentissimos, nempe contemplationem primæ veritatis, et amorem summi boni; à quibus actibus deindè provenit amor proximi, et fervor, atque devotionis sensus in operibus bonis perficiendis. Amor
proximi.

Addit porro Dominus: *quæ non auferetur ab eâ.* In statu
conser-
vat. Nam quos Deus semel ad eam vitam vocavit, vult in eâ permanere, nec ullis obtrectationibus (qualis erat illa Marthæ) ab instituto revocari. Deindè Non im-
pedit. vult, ut à consuetis ejus vitæ exercitationibus, per tempora distributis, nullo modo patiantur se im-

pediri, aut distrahi quovis alio prætextu meliorum,
 Nam ad ipsos dicitur à sponso: *Ne susciteis, neque*
Cant. 2. 7;
3. 5.
evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. Vo-
Nun-
quam au-
feri.
 let autem, quando id esse voluntatis divinæ ex obe-
 dientiâ intelliget. Deniquè Deus nunquam auferet
 hanc partem ab eo, cui semel contulit; sed eandem
 perficiet in æternitate, ubi, cessante actione, toti
De civit.
in fine.
 Deo vacabimus, amabimus, et laudabimus, ut di-
 cit S. Augustinus.

CAPUT VII.

De vitæ mixtæ excellentiâ.

MIXTA est, quæ contemplationi addit actionem;
 cujus vitæ mixtæ respectu, contemplativam solam
 Dominus vocavit *partem*, quia non est totum bonum.
 Hanc Christus expressit; deindè Joannes Baptista,
 apostoli, doctores Ecclesiæ, aliique viri sanctissimi
Gen. 28.
12.
 secuti sunt. Significata verò est in *scalâ Jacob*, per
 quam *angeli ascendebant et descendebant*, utique ho-
 mines angelis similes, modò ad Cælum per contem-
 plationem se attollentes, modò se ad terram demit-
 tentes, causâ proximos juvandi per opportuna mi-
Collat. 19.
c. 9.
 nisteria. Et quamvis ista perfectio videatur esse pau-
 corum, ut ait Cassianus, tamen ipsa contemplatio
 amorque divinus, dum proximi caritatem accendit,
 ad actionem instigat. Intelligit enim opus esse Deo
 gratissimum, cooperari Christo in lucro animarum
Contem-
platio ad
amorem
proximi
pellit.

faciendo, proque ipsis vitam ipsam fundere paratum
 esse. Cæterùm sicut Martha indiget Magdalenæ sub-
 sidio, ita vicissim pulchra Rachel (quæ etiam con-
 templativam designat) invidet Liæ lippienti, sed
 fœcundæ (quæ est activa); clamatque: *Da mihi li-*
Gen. 30. 1.
beros, alioquin moriar.

Quamobrem Dominum obsecro ut Marthæ ob-
 sequium pariter et Mariæ otium tenere valeam; ne-
 que me sollicitudo Marthæ nimia à quiete Magda-
 lenæ distrahat; vel hujus studium avocet à subsidio
 proximis ferendo.

CAPUT VIII.

*Quomodò Christus utramque vitam ex-
cellenter conjunxerit.*

NOCTEM contemplationi, diem actioni tribuebat;
 quod significat Lucas: *Exiit in montem orare, et erat*
Christi
oratio.
Luc. 6. 12.
pernoctans in oratione Dei. Circa quæ verba conside-
 rare possumus Christi contemplationis modum, ad
 imitandum.

1. Accedebat paratus, sepositis distrahentibus;
 nam eligebat locum à strepitu semotum, montem,
Cum præ-
paratione.
 tempus quietissimum noctis; et solus secedebat.
 2. Diu orationem producebat, atque in illâ perno-
Longa.
 tabat. Ac ille momento in Deum assurgebat: nos
 autem non nisi multâ collectatione obtinere possu-

Ecl. 7. 9. mus benedictionem, sicut patriarcha Jacob. Et propterea dicitur: *Melior est finis orationis, quam principium*; quia tandem post multam instantiam, et conatum efficimur compotes alicujus caelestis lucis, et consolationis. Quare debemus orationem producere. 3. Oratio ipsa Christi erat perfecta; nam ait: *Pernoctabat in oratione Dei.* Phrasi autem Scripturae res quæpiam dicitur Dei, quòd sit in eo genere excellentissima; qualis oratio à Jeremià describitur:

Thren. 3. 28. *Sedebit solitarius, et tacebit; quia levavit super se.*

II. Præterea universa oratio dici potest, Dei; quòd ex omni parte Deum respiciat. 1. Debet à Spiritu sancto inspirari, qui idcirco dicitur pro nobis postulare. 2. In Deum solum debet esse intenta, aliis

Ps. 70. 16. *curis seclusis: Introibo in potentias Domini: Domine, memorabor justitiæ tuæ solius.* 3. Summa petitionum debet esse honor Dei, et ejus impletio voluntatis. 4. Effectus est unio cum Deo, et transformatio in illius similitudinem. Oratio itaque perfecta verè appellatur, Dei; qualis in primis oratio fuit Christi Domini.

III. Ab hujusmodi contemplatione Christus prodibat ad actionem. Sed et inter actionem miscebat contemplationem, velut cum in patrandis miraculis orabat Patrem: quod etiam fecisse tacitus, quando non memoratur apertè orasse, credendus est. Et fecit, ut doceremur similiter contemplationem eodem tempore cum actione jungere; non solum eam præ-

Thren. 3. 41. mittere: sicut hortatur Jeremias: *Levemus corda nos-*

tra cum manibus ad Dominum in Cælos. Cum manibus, inquit, et inter operandum.

Porro Christi actio per tempus prædicationis ejus maximè enituit in concionibus, exemplis, et miraculis; quæ omnia fuerunt eximia: circa quæ versatur tertia Pars Meditationum.

IV.
Christi
actiones

MEDITATIO I.

Vita Præcursoris.

PUNCTUM I.

AB infantia degit in deserto: ubi quatuor imprimis præluxit virtutibus, quæ sunt columnæ perfectionis. 1. Est asperitas vitæ. Habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos; esca autem ejus erat locusta, et mel sylvestre; et haud dubiè, non dissimile cubile et lectus; antrum, et nuda humus: ferebatque omnes cæli molestias, æstum, imbres, frigusque patienter. Nec hæc ob delicta præterita, cum fuerit ab utero sanctificatus: sed ad vitandas etiam leves culpas, carnemque spiritui subigendam; utque idoneus fieret divinis percipiendis, quæ ordinariè non nisi talibus sui victoribus communicantur. Ità studebo imitari quoad licebit, et offerre me hostiam vivam, sanctam, Deo placentem: præsertim quia ad satisfactionem pro multis peccatis mihi est mortificatio carnis necessaria, non tantum ad disponendam

Penitentia corporalis.

- Matt.* 11. animam divinis influxibus; et tandem, quia *qui mol-*
8. Oratio, *liter vestiuntur, in domibus regum sunt.* 2. Negotium,
 per id tempus, illius, fuit assidua oratio et contem-
Osee. 2. platio; implente illud Domino circa Joannem: *Du-*
14. *cam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor ejus.* Unde
 divinis illustrationibus supra omnes patriarchas et
 prophetas donatus est, atque ineffabilibus suavitati-
 bus delibutus: et merito, ut qui ita se omni abdi-
 caverat prorsus consolatione terrenâ. Nempè ad *mon-*
Cant. 4. 6. *tem myrrhæ* et mortificationis contendere oportet,
Gregor. 1. *ut ad thuris collem pervenias.* 3. Excelluit fortitudo
Dial. c. 1. *et constantia in tam diurnâ militiâ.* Nec enim du-
 Fortitudo *bitium* quin à Satanâ frequenter et graviter fuerit ap-
 contra *petitus,* quando ipsum Christum, post quadraginta
 tentatio- *dierum solitudinem,* sic est ille aggressus: *Delec-*
 nes. *tatur enim cibus electis; et habet fiduciam quòd Jordanis*
Hab. 127. 6. *ipse fluat in os ejus; tantum præsumit.* 4. Cordis pu-
Job. 40. 18. *ritas, vel à minimis labeculis; et studium profi-*
Luc. 1. 80. *ciendi semper: de quo dicitur: Puer autem cresce-*
bat et confortabatur Spiritu. Quare in eum maximè
Ps. 83. 6. *illud conveniebat: Beatus vir, cujus est auxilium abs-*
te: ascensiones in corde suo disposuit; ibit de virtute in
virtutem; videbitur Deus Deorum in Sion. Insistam
Prov. 4. *hiscæ vestigiis, ut crescā sicut matutina lux usque*
18. *ad perfectam diem.*

PUNCTUM II.

Conciones *Ætate jam provecâ, prædicare aggreditur. 1. Id*
ex Spiritu *agit Spiritus sancti impulsu, cujus ductu antea lati-*
tus sancti *impulsu.*

taverat. Nam solet Spiritus, quos ad perfectionem
 provexit, ad alios quoque perficiendos inducere, ad
 parandam Domino plebem perfectam. Sed et qui in
 cellam vinariam introductus fuerat, exstimulante ca-
 ritate, alios quoque ad dilecti sui amorem inflam-
 mare gestiebat. 2. Attemperabat prædicationem suam
 auditoribus: in protervos pharisæos et saducæos
 hæreticos, terribilis ut Elias; *genimina* vocans *vi-*
perarum, et extrema intentans: at in plebem, pu-
 blicanos, et milites benignus, apta singulis præbens
 documenta. 3. Prædicationis argumentum præcipuum
 fuit pœnitentia: ad quam inducebat, tum spe, quòd
 regnum Cælorum appropinquaret; tum metu severi
 judicii, securi jam ad radicem arboris admotâ, et
 ventilabrum jam Deo versante, ad purgandam aream,
 et triticum à paleis segregandum. 4. Fructus præ-
 dicationis sequebatur magnus; magni ad eum con-
 cursus fiebant hominum, qui, confitentes peccata
 sua, ad baptismum pœnitentiæ se offerebant. At-
 que id totum nullo patrato miraculo: tantum valet
 sanctimonix exemplum. O, det Ecclesiæ suæ Deus
 multos ejus efficacitatis!

PUNCTUM III.

Habitus est pro Christo à populo. Quod ubi con-
 jecit Joannes, refragatus est: in quo eluxit insignis
 humilitas. 1. Quòd nec ob severissimam vitæ ratio-
 nem, nec ob tam eximias virtutes, nec demum ob
 tantum populi plausum, conceptamque de ipso opi-

Accom-
 modate
 auditori-
 bus.
Matt 3. 7.

De pœni-
 tentiâ.

Fructus.

Humili.

nionem, sibi ipsi placuerit. 2. Quòd non dissimulavit rem; sed Christo gloriam dedit, se verò abjecit: *Ego quidem aquà baptizo vos. Venit autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.* Ubi etiam baptismum suum extenuat, Christi autem magnificat; cum nos extenuemus bona aliena, offeramus propria.

Christum exultat.
Luc. 3. 16.

MEDITATIO II.

Testificatio Joannis Baptistæ de Christo.

NON populus tantum, sed primores etiam dubitare cœperunt, num esset Christus. Quare miserunt sacerdotes et levitas, ut interrogarent: *Tu quis es?* In responso quatuor heroicos demissionis actus exercuit.

PUNCTUM I.

Confessus est: *Quia non sum ego Christus.* Hic est primus actus: præcisè et promptè amoliri à se quod non erat; et deferre ei, cujus erat. Affectatio divini honoris dejecit Luciferum, et primos parentes exturbavit; quosdam etiam potentes mortalium hæc insania invasit. Contrà servavit angelos, qui eam respuissent; et Christi apostoli vehementer aversati sunt omnem speciem delati sibi ejusmodi honoris. Calliditas fuit Satanæ, ut Joannem, quem aliis machinis labefactare nequiverat, excellentiæ supra hu-

Actus humilitatis.

Dei gloriam quaerit.

Calliditas Sat.

manam delatione caperet. Sic aliàs agit, ut justis majora quædam supra meritum atque virtutem deferantur, ut evectos præcipitet. Quod, qui in humilitate fundati sunt, cavent; sequentes illud: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.*

Ecclesi. 3.
20.

PUNCTUM II.

Secundò interrogatur: *Elias es tu?* Respondet: *Non sum.* *Propheta es tu?* *Non*, respondet. Poterat Eliam prophetam se fateri, sicut vocatus est à Christo. At humilis non tantum indebita respuit, sed debita etiam, quando salvâ veritate potest, à se amolitur; industrius in hoc: sicut superbi contrà in derivandis ad se titulis et honoribus sunt ingeniosi. Hic est alter humilitatis actus. Et respondet præcisè: *Non*, ne involutum responsum relinqueret suspicionem.

Joan. 1.
21.
Debitum honorem fugit.

PUNCTUM III.

Tertia quæstio: *Quis es?* *Ego vox clamantis in deserto. Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias.* Non jactat genus, parentes, sacerdotium, ut quidam solent de suis gloriari: *Vocem autem se dicit*, quo significat munus quoddam sibi demandatum Præcursoris; sed ita humiliter, ut, quicquid est, alterius se esse insinuet; nimirum Dei, per ipsum tanquam vocem loquentis. Hic est tertius humilitatis actus, ut quando bona nostra cogimur aperire, quam demississimè id fiat, ac in Deum deriventur. Porrò

Joan. 1.
23.
In Deum omnia derivat.

Joannes erat Vox, et verbo, et exemplo, ad Christum omnes vocans. Talis sim.

PUNCTUM IV.

Publicè se deprimi.
Joan. 1. 25. Quarta quæstio: Quid ergò baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta? Perstringitur Joannes, quòd usurparet sibi munus baptizandi. Ipse autem se non tuetur, in Deum autorem referens suum baptismum; qui est quartus humilitatis gradus: sed pergit abjicere se, dicens: *Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.*

Joan. 1. 27. Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est (mihì prælatus); cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti. Idem testificatur quod antea apud plebem, Christo dans honorem: nunc maximè, quando solemniter ex parte magistratum interrogatur; ut illis innotescat Christus, ipse autem pro indigno illius servo habeatur. Rectè Christus Joannem dixit non esse arundinem vento agitatum; quippè eandem semper confessionem de Christo confessus est, nunquam vanitatis vento transversum impulsus. Talis est humilis, qui, tanquam terræ moles, super nihilum suum firmiter fundatus est.

Humilis
stat immobilitis.

MEDITATIO III.

Christus Baptizatur. Matth. 3. Marc. 1.

Luc. 3

PUNCTUM I.

CHRISTUS aggressurus opus suum, proficiscitur ad Jordanem, et inter publicanos et peccatores baptizandum se offert Joanni. Facti hujus hæ causæ fuerunt 1. Ad humilitatis exemplum, quæ est optima præparatio, ad aggrediendum magna; juxta illud: *Et mittet quod salvatum fuerit de Judæa radicem deorsum, ut faciat fructum sursum.* 2. Ut baptismum Joannis facto suo probaret, sicut et circumcisionem, dum ei se subjecit. Sic Christi legem, consiliaque ostendimus nos maximè probare, si ea impleamus. 3. Ut sanctificaret aquas in lavacro regenerationis.

Cur baptizetur Christus.

Isa. 37. 31.

PUNCTUM II.

Joannes, qui Christum de facie non noverat, revelante tunc Spiritu sancto, ipsum agnovit. Quis gaudii sensus in pectore Baptistæ! illo etiam major, quo *exultavit in utero* ad præsentiam Domini sui. Quis effectus reverentiæ et submissionis! Undè ait: *Ego à te debeo baptizari; et tu venis ad me!* Profundè scilicet penetrabat, quis Christus, quis ipse. Ita tu, cum venit ad te, in Eucharistiâ. Jesus autem respondit: *Sine modo; sic enim decet nos implere om-*

Joannis gaudiun.

Matt. 3. 14.

Idem. 8. 15.

Humilitatis et obedientiæ conjunctio.

nem justitiam. Nos, inquit, et me, et te decet; me quidem per humilitatis opus, te verò per obedientiæ, baptizando me; quod à te requiro. Omnem inquit justitiam: quippè humilitate et obedientiâ continetur omnis perfectio sanctitatis. Paruit Joannes, non excusans, ut Petrus lavari: at quâ reverentiâ et sensu baptizavit puritatem!

PUNCTUM III.

Christus exaltatur tripliciter. 1. 16. Cœli a-
ptione.

Christus, in actu tantæ humiliationis exaltatur et clarificatur à Patre æterno triplici indicio. Nam, 1. Ubi baptizatus confestim ascendit de aquâ: *ecce aperti sunt ei Cœli*: Ei, inquam, in gratiam ipsius; ut sic ostenderetur eum de Cœlo venisse, deinde per ipsum aperiendos quoque nobis; et verum esse quod Baptista, inducens ad pœnitentiam, prædicabat: *Appropinquavit regnum Dei.* Marcus ait, quòd vidit Cœlos apertos; quippe Christo patebant arcana omnia cœlestia, et per ipsum nobis aperienda erant:

Marc. 2. 15.

Joan. 1. 18. Act. 7. 55.

Qui enim est in sinu Patris, ipse narravit, ut ait Joannes. Undè et *Stephanus vidit Cœlos apertos*, in terrâ existens: idemque illis contingit, quorum conversatio in Cœlis est. 2. *Descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba, in ipsum.* Per hoc significata primum est septiformis gratia Spiritûs sancti, quæ super Florem Jesse ab ipsius conceptu requievit. Et venit in columbæ specie: 1. Ad innocentiam Christi testificandam; tametsi ut peccator baptizari voluisset: Deinde in signum, uti *columba missa à Noe,*

Luc. 3. 22. Spiritûs sancti descensu.

Isa. 11. 2.

Gen. 8. 17.

et

et cum olivâ rediens, quòd per Christum mundus ab eluvione peccatorum eximendus foret: Et tandem quòd more columbæ fœcunda foret Christi gratia, innumeris hominibus ex aquâ et Spiritu sancto regeneratis; qui ipsi una forent columba, una sponsa Christo Domino. 3. *Et ecce vox de Cœlis, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* 17. Singula verba perpendenda sunt. *Hic*, qui mortalis, qui in speciem peccator, quem columba ostendit, *est Filius meus*; non adoptione, sed naturâ; non regeneratus ex aquâ, sed *ex utero meo ante Luciferum* genitus, in *splendoribus Sanctorum: Lumen de lumine, Deus de Deo.* *Dilectus* proinde, non ut alii justî, sed unicè ac singulariter; imò, infinite, quâ Deus. Sed et dilectus unicè, quâ homo; quia facit quæ mihi placita sunt semper, in quo ita complacui, ut nullus mihi alius placere possit, nisi per ipsum, et propter ipsum, si illius imagini conformatus sit.

Matt. 3.

Vocis emissionis.

Ps. 109. 3.

Symbol.

In isto actu manifestari cœpit sublime mysterium Trinitatis divinarum personarum: pro quâ manifestatione gratias agam, tanquàm pro singulari beneficio.

SS. Trinitas.

PUNCTUM IV.

Quòd Christus suum tunc baptismum instituerit, ut putat S. Thomas; certè indicaverit, qui in nomine apparentium ibi divinarum personarum conficitur: et effectus illos tres habet, ut Cœlum ape-

Sacramentum Baptismi. P. 3. q. 66. art. 2.

riat, Spiritum sanctum ejusque dona conferat, et filios adoptionis efficiat, cœlesti Patri gratos et dilectos. Gratias pro tam singulari et insigni beneficio agam: ex corde deprecans ne à tantis bonis semel acceptis excidam.

PUNCTUM V.

C. 3. 21 et 22. Considerandum quòd Lucas ait: Christo baptizato et orante, apertum est Cœlum, et descendit Spiritus sanctus. Quo docemur efficaciam orationis, quæ Cœlos aperiatur, uti etiam orante Petro contigit; et Spiritum sanctum promereatur, ut cum discipuli perseverantes in oratione... repleti sunt Spiritu sancto; et vox Patris cœlestis in oratione auditur per inspirationes sanctas, et testimonium internum, quòd simus filii Dei. Atque id præsertim operatur oratio, si cum exercitio humilitatis conjuncta sit, ut tunc fuit illa oratio Christi: Quoniam oratio humiliantis se nubes penetrabit. Docemur etiam devotè sacramenta obire; orantes, ne illorum effectus impediatur in nobis; utque novam vitam, ad quam per illa regeneramur, vel augemur, perpetuò tueri possimus. Oravit etiam Christus pro suscepturis suum baptismum, ne ejus effectu fraudarentur; gratiasque egit Patri pro hoc ipso beneficio regenerationis in homines collato, proque aliis sibi propriis. Nam et hæc pars orationis est, actio gratiarum.

Orationis efficaciam. Act. 10. 21. Act. 1. 14.

Eccli. 35. 21. Oratio Sacramentis jungatur.

MEDITATIO IV.

Christus in desertum secedit, et jejunit.

PUNCTUM I.

STATIM à baptismo se subducit in desertum.

1. Quoniam tam mira circa ipsum in baptismo acciderant, docet vitandum esse plausum hominum.
2. Docet interiora potiora esse externis ceremoniis, qualis erat Joannis baptismus in aquâ tantum: nec in exterioribus hærendum, ut pharisæi faciebant: Mundantes quod de foris est calcis, intus autem pleni immunditiâ. 3. Qui Spiritu plenus gustavit cœlestia, avet se recipere ad illa ampliùs secum pertractanda.

Luc. 11. 39.

PUNCTUM II.

Ductus est in desertum à Spiritu, ut Matthæus: at Marcus: Et statim Spiritus expulit eum in desertum; haud dubiè Spiritus sanctus. Non à spiritu vanitatis, aut sinistro alio ducebatur, ut nos: nempe, qui Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Ductus dicitur, quia spontè obsequens; expulsus, quia sine morâ, et cum fervore: Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia; et: Atingit à fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Non in Jerusalem, sed in desertum expulit; ut inter bestias ageret, uti fuerat inter animalia natus. Utrumque agit ad exem-

Spiritus sanctus sequendus.

Rom. 8. 14.

Ambros. L. 1. in Luc. c. 1. Sap. 8. 1. Cur in deserto Christus.

plum humilitatis, et quærens hominem, jumentis similem peccando factum. Deinde, quia is locus pœnitentiæ, et orationi erat aptus. Unde ascendebat oratio illius sicut *virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris*. Penetrat videlicet illa oratio Cœlos, quæ à mortificatione, et incenso devotionis affectu procedit. Sic præparanda anima est, quandò aliquod præcipuum est aggressura.

PUNCTUM III.

Matt. 4. 2. Jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus.
Gu' am re- 1. Suscepit hoc jejunium pro intemperantiâ primorum parentum, in cibo vetito gustando; deinde, ut doceret, ab initio spiritualis vitæ domandam esse primum.
Jejunium exactum. 2. Jejunium hoc fuit rigidissimum, sine ullo cibo continuatum. Docemur quàm strictissimè jejunare, quantum natura et vires ferunt, absque miraculo.
Prolixum. 3. Fuit prolixum ad quadraginta dies, ad commendandam constantiam in operibus pœnitentiæ. Cujus exemplo observabo exactè quadragesimale jejunium; quadripartitâ intentione, juxta quatuor illius partes: nempe ad satisfactionem pro peccatis meis, in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, ad impetrandas virtutes mihi maximè necessarias, in præparationem beatæ resurrectionis seu in præmium vitæ æternæ.
Suave per orationem. 4. Jejunium hoc fuit suave, sufficiente vires Divinitate, ipsâque contemplatione molestiam omnem auferente: sicut et *Elie et Moysi* contigit;
3 Reg. 19. illi, dum *ad montem Dei Oreb* pergeret, pane subci-

neritio reffectus; isti autem, dum colloquio *Dei in monte Sinai* frueretur. Ambo enim totidem dies absque cibo alio potuve perdurârunt. Nempè, pro eo quòd jejunium juvat, ac promovet orationis fervorem; ab hujus vicissim suavitate lenitur jejunandi labor et molestia.

MEDITATIO V.

Christus tentatur à diabolo.

PUNCTUM I.

DUCTUS est in desertum, ut tentaretur à diabolo. *Matt. 4. 1.*
 Exponit aliquando Deus viros perfectos tentationibus, ut in ipsis triumphet: *Quia fidelis Deus est; qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum.* Solitudo est apta dæmonum insidiis. Sic etiam Evam aggressus est, cum sola ageret sine marito. Ideò olim non nisi probatis permittebatur vita solitaria. Perindè verò est, quamvis in consortio multorum vivam, si tentationes celem apud me. Ait enim Sapiens: *Si mor- det serpens in abscondito, et absque sibilo, nullum habet lucrum incantans: hoc est, nulli est utilitati quia ignorat morbum. Ita, si spirituali patri non manifestentur tentationes occultæ; quas, tanquam morbus, figit absque sibilo et clam serpens antiquus: Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* Solus etiam est, qui suum casum non commu-

nicat ei, à quo sublevari potest. Porro Christus tentari voluit: 1. Quasi tyro aliquis, cui dicitur: *Acedens ad servitum Dei, prepara animam tuam ad tentationem*: 2. Ut per omnia nobis similis fieret, *absque peccato*; et experiètiâ disceret compati infirmitatibus nostris, tentatus ipse; 3. Ut animum nobis faceret, et vincendi præberet exemplum. Collige hinc tria documenta. 1. Ne dejiciaris tentatione, quasi minus Deo carus; siquidem Filius Dei tentatus est: quin animare, et gaude spiritu. 2. Fiduciam concipe auxiliî opportuni ab eo, qui propter te tentari voluit, ut compateretur. 3. Disce prævenire tentationes, ut fecit Christus, *in oratione et jejuniis*. Est enim genus dæmoniorum, quod non aliter ejicitur, ut Christus ipse affirmat.

PUNCTUM II.

Tentationes quales fuerint. Primæ materia fuit gula; secundæ, vana gloria; tertiz, avaritia et ambitio: sed in omnibus, pater superbiæ ad superbiam spectavit. 1. Tentatio: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*; captat occasionem à jejuniis, et esurie. Variè de gulâ tentat homines: aliter voluptuosos, proponens ipsis cupedias: aliter egentes, inducens ad procurandum cibum modis illicitis: aliter pios, prætextu honesto; sicut prophetam illum induxit ad jejuniis, à Deo sibi præceptum, transgrediendum, obtensâ revelatione; et Christum Dominum, si quidem esset Filius Dei, ut panes

sibi faceret ex lapidibus. Repulsus est: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Nititur hoc responsum humilitate, quâ non vult Deo præscribere modum alendi ipsum, cum plures ipsi suppetant; et fiduciâ de illius providentiâ: *Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum*. 2. Tentatio, à vanâ gloriâ: *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem et statuit eum supra pinnaculum templi; et dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum*. Diabolus primam tentationem adhibet, ut exploret propensionem; undè faciat gradum ad alias, pro cujusque ingenio. Spiritus bonus duxit Christum in desertum, ut declinaret plausum et accursum: malus autem portat in pinnaculum templi; ut, qui noluerat in occulto facere miraculum parvum, in aperto faceret magnum, à gloriâ stimulatus. Permittit se portari Christus, usque adeo sese humilians. Repellitur tentator: *Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum*. Non sunt frustra petenda miracula. Humilis facillè discernit spiritum vanitatis; sicut dicit Sapiens: *Ubi est humilitas, ibi et sapientia*. 3. Tentatio: *Assumpsit eum diabolus in montem excelsum*. En, ut pro uno peccato totum offert mundum: *Hæc omnia tibi dabo*. Contrâ tu disce, nec pro omnibus mundi regnis, vel unum peccatum esse admittendum: *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Quod ipsi fatentur peccatores: *Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia?*

Deindè observa mendacii patrem ea promittentem, quæ in suâ potestate non sunt. Sic sæpè multos vanâ deludit spe, ut somnia sibi fingant, vel persuaderi per alios sibi sinant; quò inducat in aliud quod peccatum. Prætereà attende quantum sit malum avaritia, et ambitio, quæ faciunt adorare diabolum. Certè *avaritia idolorum servitus* vocatur, quòd illius causâ nihil non fiat. Proindè Christus impossibile dixit servire *Deo et Mammonæ*. Et, quod est miserandum, non pro toto mundo, sed pro uno palmo terræ, à multis diabolus adoratur. Pellitur tentator: *Vade, Satana! scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*. Tali zelo repellendus est; maximè càm Dei honor directè tangitur, ut hic.

PUNCTUM III.

Tunc reliquit eum diabolus: et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei: missi à Patre æterno, non unus, sed plures, ad honorandum filium ex certamine victorem, et ad ministrandum esurienti. Et ministrabant summâ cum reverentiâ. Sic Deus consulit suis. Feram patienter defectum rerum, Deo fidens. Et in tentationibus, ille sit præ oculis. Sed nunquam me securum putabo à tentatione in posterum: dicitur enim Satan ad tempus à Christo recessisse.

Ibid. v. 11.
Providentia Dei
circa suos:

Luc. 4. 13.

MEDITATIO VI.

De Vocatione apostolorum.

PUNCTUM I.

CUR abjectos elegerit. 1. Quia ipsemet Christus venit pauper et humilis; voluit tales habere associas, et in hoc ipso exercere humilitatem: *Cum simplicibus sermocinatio ejus*. 2. Quia oportebat prædicatores Evangelii fundatos esse in humilitate, ne sibi gloriam Evangelii arrogarent. Juvat autem ad humilitatem, meminisse undè assumptus sis. 3. Ut illustrior fieret propagatio Evangelii; et agnosceretur esse opus Dei, quandò per tales subderetur Christo mundus. Ex istis collige humilitatis studium, et quòd Deus zelotes sit gloriæ suæ, ut ea non usurpetur ab hominibus.

Elegit
pauperes
pauper.

Prov. 3.
32.
Ut essent
humiles.

Ut virtus
Dei claresceret.

PUNCTUM II.

Quales secundum mores vocaverit. 1. In quibusdam præcessit propinquier quædam dispositio; ut in Andrea, qui in scholis Joannis inceperat institui, cujus discipulus erat. Et inerat ei desiderium majoris perfectionis. Nam, cùm audisset præceptorem suum Joannem Baptistam de Christo dicentem: *Ecce Agnus Dei*; continuò adhæsit Christo. Inerat etiam zelus pro aliis; undè statim adduxit Petrum ad Jesum, dicens ei *Invenimus Messiam*:

Vocat
perfectos
Andream,
etc.